

1538 iis cum hostibus dimicandum est , quibus neque terrestres copiae , neque classes deesse possunt , cum immenso fere terrarum spatio dominantur ; Asia omnis in illorum potestate sit ; Africa fere tota pareat ; neque exigua Europae parte potiantur . Fœderi vero , quo tantopere multi innituntur , quamvis non parum tribuam , attamen certum in eo rebus nostris presidium collcare non ausim ; cum ea sit societatum ratio , ut variis rerum eventibus interturbari , ac præpediri queant ; atque alii sèpius sociorum fines , animos , & vires in diversa trabant ; ac dum quisque suis rebus consulit , commune bonum negligatur ; subsidia neque paria , neque eodem tempore , uti constitutum est submittantur ; inde suspiciones ; animorum alienationes ; ex his dissidia ; ex dissidiis denique leges fœderum violatae ac deseratae : qui minores reliquis ad obſistendum vires afferre possunt , prædæ loco non hostibus modo , verum etiam sociis fuere . His fit , ut mente concipere nequeam , cur , abjectis pacis consiliis , in difficillimum bellum , quo nullum Respublica gravius , ac periculosis suscipere potest , ruere velimus . Venetæ ditiones in vices centena millia passuum longitudinem protensæ , Turcis finitimæ sunt ; neque certo in quam regionem hostis irrupturus sit , sciri potest : Corcyramne iterum invadat ; Cretamne ; Cyprum ; Peloponnesi urbes ; an Epirum ; an Dalmatiam bello adoriturus sit . Hinc vobis immensi , ac prope incredibiles sumptus impendent ; ingenti militum , triremium , bellicorum apparatum numero opus est . Neque interea minus de terrestri imperio cogitandum , nisi aditum hostibus in Carnos , ac Forojulienses relinquere velitis ; qui patrum , atque avorum memoria eam regionem direptione , incendiis , captivitate , omnique ærumnarum genere affecerunt . Hinc posteaquam Turcarum potentia adeo excrevit , ut pares cum illis Respublica vires conferre non posset , pacem bello antetulit , quam per triginta septem atque amplius annos a Bajazetis bello studiose coluit . Inde publicarum , ac privatarum opum incrementa fluixerunt , quibus hæc urbs aquis circumsepta , maritimis innutrita negotiis , mirum in modum floruit , atque Europæ Principum conspirationes eximia virtute depulit ; terrestre imperium omne fere amissum brevi recuperavit ; cum in diuturni , & gravissimi belli sumptus abunde pecunia ex vectigalibus collecta

sup-